



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio XXII. Argumentum. Declaur, quid & quotuplex sit Simonia, & in quibus rebus committatur? Casus tres simoniaci; unus circa Sacramentorum administrationem; alii duo circa beneficia. De ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

Ad Secundum. Quas penas incurrat, qui provocat alium ad blasphemandum? Censuerunt incurrere eandem penam, qua puniuntur blasphemii. Id autem probarunt. 1. Ex 2, Reg. 12. ibi. quia fecisti inimicos blasphemare nomen Domini, propterea filius, qui natus est tibi, morte morietur. 2. Quia lex imponens penam delinquenti, habet locum etiam in eo, qui facit fieri delictum. Gloss. in l. Quod crimine ff. de accusat. c. Qui per alium. De Regul. Jur. in 6. Et sic tenet Plot. in tr. de Blasphem. num. 11. Lazar. quest. 4. num. 33. & Ricciul. d. lib. 1. quest. 21.

AD PRIMUM CASUM.

Quidam Viri probi audierant tristem hominem blasphemantem, & ei nihil dixerunt; at paulo post dubitant, se peccasse, & aliquam obligationem sibi imminere: ideo accedunt ad Confessarium, eumque consulunt de hoc dubio. Queritur, quid debeat eis respondere Confessarius pro Veritate, & Justitia?

Sapienter dixerunt, respondendum esse à Confessario, quod prædicti Viri probi ad duo tenebantur, videlicet ad Correctionem fraternam, tum ex præcepto Evangelico, Matth. 18. Si peccaverit frater tuus, corripe inter te, & ipsum solum. Tum ex decreto Concilii Lateranensis sub Leone X. sess. 9. §. Ad abolendam. Et ad Denunciationem, si blasphemia erat hæreticalis; tam si occulte, quam publicè prolata. Trivis. lib. 2. decis. 51. num. 6. & 7. Farin. de Hæres. quest. 197. numer. 35. Si verò blasphemia erat simplex, & ille homo non erat publicus blasphemator, non est denunciandus, maximè si spes subsit emendationis. Ricciul. d. lib. 1. cap. 22. num. 18. ubi notat, denunciationem faciendam esse in Sancto Officio Inquisitionis, nulla præmissa correptione fraterna, ubi blasphemia est hæreticalis, nisi audiens timeret, sibi aliquod grave damnum obventurum. Novar. in Man. cap. 18. in fine. Menoch de arbitrar. casu 487. Et prædicta mea Erotemata cap. 34. num. 35. ubi alii DD.

AD SECUNDUM CASUM.

Quidam blasphemus denunciatus, & processus, inrelexit, contra se esse factum Decretum captivæ: ideo confugit in locum sacrum. Satellites volentes ibi eum capere, petunt à Parocho, an possint? Queritur, quid Juris?

Ferè omnes dixerunt, à Parocho esse respondendum birruariis, satellitibusque, quod si dictus blasphemus est processus ob blasphemiam simplicem, non possunt eum extrahere ab Ecclesia; quia gaudet loci sacri immunitate; at si est reus blasphemix hæreticalis, non gaudet Immunitate Ecclesiæ, & per consequens potest etiam in ea capi. Novar. in Summa Bull. pag. 1. Comment. 72. num. 43. & pag. 2. Comment. 80. num. 25. Diana pag. 1. tract. 1. resol. 38. & part. 4. resol. 51. Quæ in Coordinato sunt tom. 9. tract. 1. resol. 29. & resol. 40. Sed non omnes addiderunt, quod magis advertendum est ab ipso Parocho, videlicet edocendos prædictos Ministros Justitiæ, quod etsi ille homo reus sit hæreticalis blasphemix, & non gaudeat Immunitate Ecclesiæ, nihilominus, non possunt illum extrahere absque expressa licentia, & mandato Episcopi; quam non habentes, debent in primis, & ante omnia obtinere, alias incurrunt in excommunicationem Papa-

lem per Bullam Gregorii XIV. quæ requirit prædictam licentiam Episcopi in Casibus exceptis; & est de forma. Novar. d. Comment. 72. num. 89. ubi plurimos allegat Theologos, & Juristas.

AD CASUM PRUDENTIALEM.

Quæ, & quot determinare, ac facere debeat Vir Ecclesiasticus, ut salvet animam suam?

Lepide quidam plura adnotarunt, quorum fructuosiora, ex diversis collecta sequuntur, nam Alii dixerunt determinanda, & facienda illa duo conscripta à David. Declina à malo, & fac bonum. Psalm. 33. 15. Alii illud Unum. Job. 14. Cunctis diebus, quibus nunc milito, expecto donec veniat immutatio mea, expectando scilicet quotidie Mortem, quia teste S. Hier. Felice contemnit omnia, qui sapè cogitat, se esse moriturum.

Alii, illud unum, quod fixum erat in corde S. Francisci Xaverii: Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, anima verò suæ detrimentum patiatur? Matth. 16. Alii, illa quatuor, quæ commendabat S. Philippus Neri, Spernere mundum, Spernere nullum, Spernere seipsum, Spernere se sperni, sunt enim hæc dona Superni. At alii, maturius, & profundius quæsitum meditati, censuerunt, hæc omnia determinare, & facere oportere. 1. Alta mente tenere, & sedulo cogitare principalem hominis Christiani finem, qui est, Deo in hac vita servire; & Deo in æternitate potiri. 2. Ad consequendum hunc finem, non esse vivendum secundum naturam; sed secundum Gratiam. 3. Ad vivendum secundum Gratiam, non carni, aut mundo obsequendum; sed Redemptorem Nostrum JESUM CHRISTUM imitandum. 4. Imitationem Redemptoris consistere in Abstinentia, in Operando, in Patiando. 5. Ideò Ecclesiasticos (qui volunt salvare animam suam) abstinere debere à Delectationibus, à Divitiis, & ab Honoribus; nam Salvator voluit nasci, vivere, & mori pauper, despectus, & humiliatus. 6. Eisdem operari debere pro sua, & proximorum salute fortiter, & suaviter, id est animo constanti, sed mansueto. 7. Tandem necesse esse pati, ac sufferre patienter, & lætanter quasunque tribulationes, & adversitates, quomodocunque obvenientes, eas à Divina manu recipiendo, juxta Redemptoris exemplum; qui factus est obediens, Æterno Patri, usque ad mortem, mortem autem Crucis.

Hæc septem collegerunt à libello 24. Veritatum P. Juliani Haynovii Soc. Jesu: quæ utinam determinentur, & perficiantur ab Ecclesiasticis quibuscunque. De obligatione strictissima, quam habent Ecclesiastici faciendi eleemosynam de fructibus superfluis beneficiorum videantur meæ Decisiones de Penitentia Decis. 10.

D E C I S I O XXII.

A R G U M E N T U M.

Declaratur, quid & quotuplex sit Simonia, & in quibus rebus committatur? Casus tres simoniaci; unus circa Sacramentorum administrationem; alii duo circa beneficia. De remediis, pro tollendo abusu secretæ conversationis inter Viros, ac puellas nobiles.

SUM-

S U M M A R I U M.

1. *Simonia definitio.*
2. *Simoniam an excuset parvitas materia?*
3. *Simonia quotuplex sit?*
4. *Simonia quo jure prohibita?*
5. *Simonia confidentialis quanam sit?*
6. *Simonia quibus in rebus committatur?*
7. *Spiritualium rerum genera tria.*
8. *Pretium in Simonia triplex.*
9. *Parochus recusans ministrare Sacramenta absque donativis an peccet?*
10. *Beneficiorum in permutatione si temporale datur, Simonia est.*
11. *Trienniali possessori bonæ fidei non nocet Simonia ab alio commissæ super suo beneficio.*
12. *Remedia decem contra abusum secretæ conversationis masculorum, ac feminarum nubilitum.*

Ad infra scripta Quæstia, & Casus DD. Parochi, & Confessarii dixere.

AD PRIMUM. Quid sit Simonia? Innumeræ propemodum relatæ sunt definitiones, ex Theologis, Canonistis, Juristis, & Casistis depromptæ. Una est: *Simonia est studiosa Voluntas emendi, vel vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum.* S. Thom. 2. 2. quæst. 100. art. 1. Alia est: *Simonia est Spiritualium, vel annexorum spiritualibus, præcedente pacto promissionis, conditionis, modi, servitii precum, vel cuiusvis temporalitatis receptio, vel donatio.* Hostien. in Rubric. de Simonia §. 1. Alia est: *Simonia est rem Sacram re profana, seu quæ civilem habet estimationem, emere, seu vendere.* Paul. Comitrol. resp. moral. lib. 5. quæst. 14. num. 4. Ex quibus, & aliis multis, quæ brevitatæ studio omittuntur, colligitur, tunc esse Simoniam, quando pro Re spirituali datur Pretium temporale, & est peccatum mortale, contra virtutem Religionis, prohibitum Jure Divino, naturali, & humano, adeo ut neque excuset parvitas materiæ secundum Suarez de Religione tom. 1. lib. 4. cap. 3. num. 5. communiter approbatum; quod notat etiam Pasqualig. dec. 478. quamvis aliqui DD. parvitatem materiæ admittant, ut refert Diana, pag. 5. tract. 5. resol. 2. Quæ in Coordinato est to. 5. tract. 9. resol. 2.

Ad Secundum. Quotuplex sit Simonia? Copiosissimas dederunt divisiones; sed cæteris omittis, illa visa est fructuosior, quam tradit Reginald. lib. 10. cap. 27. num. 429. Videlicet Simoniam considerari posse vel ex parte Modi, vel ex parte Juris. Primò modo Simonia est Triplex. *Mentalis*, quæ in sola mente, exclusis quibuscunque pactis, vel dictis externis, consistit. *Conventionalis*, quæ in pactione, seu conventionem, nondum ad effectum hinc inde perducta à promittentibus, consideratur. Et *Realis*, quæ in reali datione promissorum suum esse habet. Altero modo, dividitur Simonia, ita ut alia sit prohibita de Jure Divino, & alia de Jure Canonico. Tolet. in Summ. lib. 5. cap. 86. Comitrol. lib. 4. quæst. 6. num. 1. Bonacin. tom. 1. De Simonia disp. 1. quæst. 2. à num. 1. & seqq. Et hæc omnia ex rescriptis Parochialibus; quibus addenda est alia species Simonia scilicet *Confidentialis*, & cadit in dimissionibus, vel resignationibus beneficiorum cum pacto ea retrocedendi alteri personæ, vel solvendi partem fructuum, aut Pensionem, absque beneplacito Romani Pontificis, contra quam ex-

tant duæ Bullæ, una Pii Quarti, quæ incipit *Romanum decet*, & altera S. Pii Quinti, incipiens. *Intolerabilis*, de quibus tractant Canonistæ, & præcipuè Flamin. Parisius, ac Thesaur. de penis part. 2. Verb. Simonia, capit. 3. Sanchez in Consiliis Moral. lib. 2. cap. 3. dub. 34. Et copiosè mea Erotemata cap. 35.

Ad Tertium. Quæ sint res, quarum causa committitur Simonia? Plures plura dixere; omnium autem sensus fuit, Simoniam committi in rebus spiritualibus; quæ sunt triplicis generis. *Alia*, purè spirituales, ut virtutes supernaturales, & potestates, & usus ipsarum. *Alia* mixta cum temporalibus, sed plus de spirituali participant, quàm de temporalitate, ut Sacramenta, Sacramentalia, & beneficia, & alia pariter mixta, sed quæ magis participant de Temporalitate, quàm de spiritualitate, ut Vasa Sacra, Templorum loca, Cantorum officia, & similia; in quibus omnibus Simonia committitur, quando pro eis datur Pretium, quod est Triplex: *A manu*, ut pecunia; *A lingua*, ut laus, vel vituperium; & *Ab obsequio*, ut servire ad effectum habendi beneficium. Tolet. d. lib. 5. capit. 84. Et Summa Diana Verb. Simonia numer. 3.

AD PRIMUM CASUM.

Quidam Parochus recusabat baptizare pueros sua Parochia, & audire Confessiones suorum Parochianorum, quando ei non portabant per unum gallinarum. Quæritur, an peccaret? Et quale peccatum committeret? Responderunt, peccare Simonia peccato, & quidem mortali. Quod sit peccatum Simonia constat, quia exigebat rem temporalem, ut erant gallinæ, pro re spirituali, nempe Sacramentis Baptismi, & Penitentia. cap. Cum in Ecclesia corpore 9. de Simonia, nam cum supponatur, habere à beneficio honestam sustentationem, nullo titulo legitimo honestabatur ejus exactio. Diana, pag. 11. tract. 6. ref. 34. Quæ in Coordinato est to. 5. tract. 7. ref. 15. num. 3. ubi DD. Et quando præcedit pactum, seu taxatio rei tradendæ pro spirituali semper est Simonia. cap. Tux nos 34. de Simonia, & Extrav. 1. eod. tit. Quod autem peccatum sit mortale, ex eo refutatur, quia in Simonia non datur parvitas materiæ, ex qua peccatum dici possit Veniale, cum ejus malitia consistat in contemptu rei spiritualis & parvitas pretii aggravat culpam, & injuriam in rem spirituales, dum minoris æstimatur. Thesaur. de penis pag. 2. Verb. Simonia, cap. 1. Verf. Amplia terro. Ubi DD. cumulat.

AD SECUNDUM CASUM.

Ulo beneficiati permutaturi in manibus Episcopi eorum beneficia, quia super uno erat Pensio Pontificia Ducatum 25. convenerunt, ut possessor beneficii gravati illam extingueret. At permutatione facta, cum Pensionarius nolisset extinguere pensionem suam, ipsa Possessor dedit suo compermutanti Ducatos ducentos in compensationem, & pro ferendo onere dictæ Pensionis; nullo Verbo habito cum Episcopo. Quæritur an hi compermutantes Simoniam committant?

Absque hæsitacione ad hunc casum non fictum; sed factum, responderunt omnes Simoniam committi. Rationes concludentissimas, ac doctissimas allegarunt, desumptas Ex Navar. cap. 23. num. 100. Ex Pasquez in opusculi de be-

nes. cap. 2. §. 4. dub. 3. pag. 427. Et ex Bonacina alios cumulate tom. 1. de Simonia disp. 1. q. 4. §. 12. num. 10. Quibus Curia addit Decisionem punctualem S. Rotæ Romanæ decidentem committi Simoniam, id est coram Penia decis. 430.

AD TERTIUM CASUM.

11 Quidam adeptus est beneficium per Simoniam commissam à fratre suo, inscio tamen ipso beneficiario. Quæritur, an teneatur dimittere beneficium, quodcumque notitiam habet dictæ Simonie? Affirmativè dixerunt ante expletum possessionis triennium; Negativè transacto triennio cum bona fide; quia juvatur regula de trienniali possessore cum bona fide, & titulo saltem colorato. Gomez ad d. reg. q. 12. Ugolin. de Simon. tab. 4. cap. 6. §. 9. Garzias de benef. p. 8. cap. 1. num. 14. & Bonac. d. tom. 1. de Simon. disp. 1. q. 7. punct. 2. num. 20.

AD CASUM PRUDENTIALEM

12 Quibus industriis, & rationibus possit Parochus tollere abusum, qui inter masculos, & feminas nobiles viget, loquendi, ac tractandi secretò de amore, ac de nuptiis ineundis? Dixerunt. 1. Admonendos esse eorum genitores, ne eis hanc facultatem, vel commoditatem permittant. 2. Iisdem ostendendum periculum deflorationis puellarum. 3. Detractiones honoris earumdem ex hac conversatione secreta prodire. 4. In Concionibus publicis graviter increpandum esse hunc abusum. 5. Docere, quod genitores tenentur sub culpa mortali de medio tollere hanc perniciosam libertatem, ipsosque pueros, & puellas obligatos esse obedire. 6. Ex his colloquiis sæpe sapius infestas nuptias produci, & matrimonia amaritudinibus plena. 7. E contra, ubi filie abstineant ab his amoribus, & eorum genitores Nuptias promoveant, erunt feliciores, & à Deo benedictione cœlesti donabuntur. 8. Alias, & ipsæ filie stupra patientur; infamiam incurrent; & familiarum hinc inde ad odia, inimicitias, ac arma exardescant; cum irreparabili detrimento vitæ, honoris, bonorum temporalium. 9. Parochi sæpe sapius ex Altari declarent Novum Decalogi præceptum, & ostendant in iis colloquiis amatoris illud offendi ob desideria inhonesta, & morosas delectationes. 10. In confessionibus se difficiles reddant in absolvendo illos, qui in eliminando hoc abusu non sint dispositi.

DECISIO XXIII.

ARGUMENTUM.

Continuatur materia Simonie, & quæritur, an sit prohibita, quia est mala? An sit mala, quia est prohibita? An liceat dare pecuniam pro redimenda Vexatione in beneficio? Casus Patroni Simoniaci. Item Pensionarii volentis extinguere suam Pensionem. Motiva, quibus Ecclesiastici debent suas functiones devotè facere.

SUMMARIUM.

1. Simonia an sit prohibita, quia est mala? vel è contra?
2. Vexatione pro redimenda an liceat dare pecuniam?
3. Patronus beneficii an pro præsentatione possit accipere pecuniam?
4. Pensionis extinctio cum pecunia an licita?
5. Ecclesiastici quot motivis debent devotè functiones suas facere.

Doct. Clericali Tom. II. Lib. IX.

Ad infra scripta Quæstia, & Casus DD. Parochi, & Confessarii dicere.

AD Primum. An Simonia sit prohibita, quia est mala? Vel An sit mala? quia est prohibita? Omnes cum distinctione responderunt: Simoniam, quæ repugnat Juri Naturali, & Divino, ut accipere pretium pro Sacramentis, pro ordinibus, aut aliis rebus spiritualibus, esse prohibitam, quia ex se est mala. Simoniam verò, quæ damnata est à solo Jure Ecclesiastico, ut accipere pretium in examine ad Paræcias, vendere officia Ecclesiastica, permutare beneficia propria autoritate, esse malam, quia est prohibita. Gles. in cap. ex p. 1. Vers. remittere, & ibi Innoc. & Hostien. De offic. Deleg. Layman. lib. 4. tr. 10. cap. 8. num. 61. & Nicolius tom. 1. lib. 4. tit. 18. §. 1. n. 23. qui num. 33. advertit, Simoniam primi generis posse committi etiam à Papa, secus autem Simoniam Juris Ecclesiastici.

AD Secundum. An liceat dare pecuniam pro redimenda Vexatione in beneficio? Pariter sub hoc distinctionis federe omnes processerunt. Aut electus nondum habebat jus in re beneficio, id est nondum erat institutus, vel confirmatus in eo; & in hoc casu non licet pecuniam dare pro redimenda vexatione, quia daretur pro acquirenda re spiritali, quam non habet. Vel jus in re habet, obtenta jam institutione, vel confirmatione; & in hoc casu dare pecuniam licet ad redimendam vexationem. Layman. ubi supra tr. 10. cap. ult. §. 2. num. 22. Theologi, & Canonistæ cumulantur. Ratio est, quia cum jam acquisierit jus spirituale, non dat pecuniam pro eo, sed pro repellendo impedimento injustæ Vexationis. Fagnan. in cap. Nobis num. 104. de Simonia. Mea E-rotemata cap. 35. num. 11.

AD PRIMUM CASUM.

Quidam Patronus, vacante beneficio, recepit pecuniam à quodam Presbytero, ut eum præsentaret, prout præsentavit ad illud beneficium. Petit à Confessario. An ejus conscientia sit onerata, & an penas aliquas incurrit? Quæritur, quid sit responsurus Confessarius?

Consona fuit omnium responsio; huic Patrono dicendum fore, reum esse Simonie; quia pro spiritali, qualis est præsentatio, accepit temporale lucrum, & pecuniam. Redoan. de Simonia part. 3. cap. 13. num. 22. Suarez lib. 4. cap. 28. à num. 7. & seqq. Bonac. de disp. 1. q. 4. §. 11. n. 4. Ideo ejus conscientiam oneratam esse. 1. Peccato mortali, cap. mandato. De Simon. 2. Excommunicatione Papæ reservata. Extravag. 2. de Simon. & Bulla S. Pii V. Incipit. Cum primum §. 7. 3. Tenetur restituere pecuniam acceptam, vel pauperibus, vel Ecclesiæ, ad quam dictum Sacerdotem præsentaverat cap. De hoc cap. Audivimus. De Simon. 4. Procurare debet remotionem à dicto beneficio prædicti beneficiarii, quia præsentatio fuit nullius valoris; ipseque Sacerdos est omnino inhabilis, & incapax dicti beneficii. Theaur. de Penis, part. 2. Verb. Simonia. cap. 2. & cap. 3.

AD SECUNDUM CASUM.

Quidam Pensionarius consultit Confessarium, quomodo, & quando possit extinguere Pensionem suam cum suo Pensionato beneficiario, recipiendo pecuniam. Quæritur, quid debeat respondere Confessarius?

Retulerunt duas opiniones Doctorum adinvicem contrarias. Una est, quod Pensionarius non possit extinguere Pensionem absque licentia Papæ, ex pluribus rationibus allegatis à Bonac.

E

dist.